

præoptasti flagellari torquerique a febrī vulneribusque ne abijceres pietatem non incantamentis, non applicaturis ac speciebus istiusmodi nutritus, etc. » Hunc referri possunt septem illi fratres Machabæi, qui extrema pati volere potius, quam prohibitis sibi cibis se contaminare, II. Macch. Et quadraginta illi rustici qui cum Longobardis immolatas idolis carnes edere compellerentur, ne creatorem suum offenderent, maluerunt gladiis eorum concidi, apud S. Greg. I. III. dial. c. XXVII. Denique sic in Domino occubuit S. Casimirus Poloniæ regibus ortus, qui gravi pressus infirmitate mori potiusquam castitatis jacturam ex medicorum consilio subire constanter decrevit. Ut est in breviario 4. martii. Quinimo sic occubuerunt omnes martyres, qui ne impiis tyrannorum mandatis parendo Deum suum offenderent, vitam suam et tormentis et morti infami exposuerunt, uti imprimis S. Stephanus, de quo expresse S. Luc. Act. VII. scribit, *obdormisse eum in Domino, seu propter Dominum, ut explicat ex Græco glossa interlinearis, Ambrosius et alii. Hoc enim pacto tradidit Deo pro tuenda ejus fide animam suam quasi in sacrificium quam proinde excepit Deus in manus suas; quemadmodum petierat: Domine suscipe spiritum meum. Secure igitur et in Domino moritur, quisquis propter Deum ejusque gloriam asserendam quocumque modo occumbit. Unde Ps. XXXVI. dicitur de justo: Si ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Cedit igitur in manu Dei, a potiori, qui propter ipsum cedit in mortem.*

III. Qui moriuntur in negotio seu obsequio ac servitio Domini. Quando enim Domini negotia gerimus, si moriamur utique ipsi et in ipso morimur: *Sive ergo vivimus sive morimur Domini sumus.* Sic occubuerunt in Domino Alexandria Christiani, ann. 263. qui peste laborantibus libentissime ministrantes, mortem oppetiverunt; quos et Ecclesia ut martyres celebrat pridie cal. martii. Quibus accenseri potest nobilis ille, *quamvis alioquin flagitiosus nobilis, qui ut scribit celeberrimus apud Hispanos concionator Philippus Diaz, ser. IV. post. dom. I. quadrag. postquam a religioso verba hæc sibi observanda audisset: « Bonum quod tibi vis fieri fac quoque proximo tuo; » eaque sibi in opus redigenda conclusisset: « Quadam nocte excepit in domo sua ægrotum quemdam pauperem: cui postquam cœnarum bonam dedisset, jussit prope suum cubile lectum ei sterni, dicens: Si ego pauper essem, et ægrotus, libenter viderem me ita humaniter excipi. Media vero nocte cepit ægrotus pauper clamare et aquæ haustum pe-*

tere dicens, se gravi siti vexari. Surrexit nobilis ille ut haustum illi daret, dicens intra seipsum: Si tanta ego siti premerer, libenter viderem si aquæ haustus mihi porrigeretur. Descendit itaque ad cisternam, ut aquam afferret: et cum esset obscurum et in fervore illo acceleraret, impedit et cecidit intus, et ipso Domino permittente suffocatus est. Fuit casus extraordinarius quidem sed et sensus et lacrymæ totius domus fuerunt extraordinariæ. Sed brevi tempore Deus lacrymas illas fecit exsiccari. Cum enim defuncti corpus ex cisterna extraheretur, habuit pretiosissimum torquem aureum ad collum suum incisus et elaboratis characteribus splendidissimis, qui hanc sententiam continebant: Antequam corpus hoc in aqua refrigeraret, anima ejus jam fruebatur Deo. » Itaque dum iste in obsequium infirmi adeoque etiam Dei sese impendit, felici plane sorte licet juxta sæculum infelici, mortuus est in Domino: quia servit et Domino. Eandem felicitatem contigisse Jo. Rastello Angelo. soc. nostræ non dubitandum. Is enim cum conclamato a medicis Paulo Hoffæo societatis provinciali, pro eo victimam se Deo obtulisset per votum, ut si auctori vitæ videretur, Paulus viveret, ipse vicaria morte defungeretur, ratam habuit Deus piam mentem patris, qui vix ædem sacram exierat, ad quam pro Hoffæo peregre supplicarat, cum e vestigio morbo correptus et domum æger deportatus mortem post paucos dies oppetiit. Hoffæus illico convaluit et exequi munus suum perrexit. Refert in P. Canisii Math. Raderus, I. II. c. V.

IV. Qui amore et desiderio Dei ad mortem sese offerunt; quo modo S. Paulus *desiderium* habuit *dissolvi, et esse cum Christo*, ad Philip. I. non ex tædio vivendi, aut impatientia morbi, et ærumnarum, uti quidam imprudenter et stulte mortem exoptant, sibi que precantur: sed desiderio fruendi Christo. Cujusmodi desiderio etiam tenebatur ille episcopus: « Ad quem visitandum jam morti appropinquantem ventitasset S. Augustinus, et ille manus gestu se de sæculo exiturum significaret atque ab Augustino responsum illi esset, adhuc eum Ecclesiæ necessarium vivere posse; ille ne putaretur hujus vitæ teneri cupiditate, respondit ei: Si nunquam bene: si autem aliquando quare non modo. » Refert Possidius, in vita Sancti Augustini, c. XXVII. Huic adnumerare possumus religiosum sacerdotem, Basilium e cœnobio magni illius cœnobiarchæ Theodosii. Hic enim cum jussisset fodi et strui a fratribus pro proxime morituro sepulcrum, eo structo dixit: *Sepulcrum quidem paratum est; quis autem est ex vobis encœnia ejus celebraturus?*

Ibi e discipulorum numero prodiit Basilius et ad pedes abbatis accidens: *Ego, inquit, hujus sepulcri primus celebrabo encœnia.* Hic petiit, ille dedit. Jussit enim Theodosius omnia ipsi fieri, quæ pro defunctis solent, tertias, nonas et quadragenas vigiliis: quibus peractis Basilius sine omni morbo ac dolore sopitus obdormivit in Domino, et sepulcro suo encœnia dedit nec sine approbatione divini numinis. Quadraginta enim diebus postea visus est in choro fratrum, horas sacras una cum eis decantare, Baron. et Metaphr. apud Sur. 11. jan. Simili desiderio Lethaldus e Burgundia in monte Oliveti desiderio sequendi Christum ad coelos inde ex alto accensus, exauditus eodemque die in hospitium suum reversus, sumpto s. viatico et socii itineris dulciter salutatis, emisit spiritum uti ex Rudolpho, lib. IV. hist. cap. VI. recensui in auctario, conc. in f. ascens. th. V.

V. Denique in Domino mori dici possunt, quicumque bene ad mortem præparati, et salutaribus sacramentis communiti obierunt. Pie enim credi potest, tales in Dei gratia hinc emigrasse, qui nihil ad salutem consequendam necessarium et congruum omiserunt. Sunt autem tria potissimum arma, quibus si armatus fuerit moriens, bene sperare de victoria poterit, pœnitentia, eucharistia, et extrema unctio. Quemadmodum enim David, postquam se armavit tribus præsidii, funda cum lapidibus, pera pastorali, et baculo, bene ominatus est de superando Goliatho, dixitque se hoc modo armatum pugnaturum in nomine Domini, I. Reg. XVII. ita qui imprimis ex ore quasi e funda ejaculatus fuerit peccatorum suorum lapides in satanam, per confessionem, deinde peram cordis sui cœlesti pane impleverit, denique baculo extremæ unctionis, partim ad firmandos gressus suos, partim ad arcendum tartareum lupum sese munierit; nã is bene sperare potest, se in nomine Domini procedere ad ultimum illum conflictum, adeoque velut in Domino moriturum. Quid enim his tribus munimentis efficiet? Funda pœnitentiæ prosternet hostem, pera sacri viatici confortabit vires, baculo unctionis proteget gressus suos. Jam si senex ille Simeon postquam Salvatorem accepit in ulnas suas, jam lætus mori desideravit, quod eo præsidio satis se armatum crederet ad mortis luctam; cur non et Christianus quisque meliori adhuc modo et fortiori armatura fultus mortem contemnat? Audiamus Origenem doctorem antiquissimum, orat. XV. « Si quis egrediatur e mundo, inquit, si quis e carcere victurum dimittitur, ut ad regnandum vadat, sumat Jesum manibus suis, et circumdet

eum brachiis suis, totum habeat in sinu, et tunc exultans ire poterit quo desiderat. »

Quæ cum ita sint, jubent hæc, quæ diximus, magnam de defuncto nostro spem concipere, quod et ipse palmam consecutus sit, adeoque in Domino vitam suam clauserit quando imprimis non injussu cœlestis imperatoris stationem suam deseruit, sed imperio ejus vocatus: deinde instar Davidis, salutaribus illis remediis sibi providit, ut cum hoste suo fortiter configere, fidenterque congredi posset. Quia tamen in certamine tam periculoso vix sine accepto vulnere pugnatur, nostrum est, ut in eventum quo pharmaco indigeret ad expiandas illas plagas id ei liberaliter, et cum magna charitate subministremus, etc.

## CONCIO XXXI.

MORTIS TYRANNIS.

THEMA.

*Mors illi ultra non dominabitur.* Rom. VI.

Magna quidem pictorum et poetarum licentia est quodlibet audendi, non caret tamen momento, quod effingunt et pingunt mortem diademate coronatam, et falce velut sceptro metuendam, instar regis aut tyranni. Non enim frustra S. Paulus eam inducit jam velut regem uti ad Rom. V. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Et paulo post: *Unius delicto mors regnavit.* Jam velut dominatorem ac tyrannum, ad Rom. VI. *Jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur,* Christo videlicet. Verum licet Christo jam dominari amplius nequeat, videmus tamen eam dominari adhuc nobis. Ecce enim tot in singulos fere dies mortuos efferimus, a tyranno illo peremptos? Quis denique est tam potens, ut ejus dominatui et potentiae posset resistere? Fateamur hoc necesse est; sciendum tamen est hanc ejus tyrannidem famulari potius, quam dominari nobis, a quo Christus eam gustando debellavit, ita nimirum, ut semel quidem nos prosternere possit, postea vero dominari nobis amplius nequeat. Unde Sanctus Chrysostomus, ser. V. fer. V. cœnæ Dom. ait: *Mors invitit imperat, volentibus servit.* Jam ergo ad cautelam nostram spectemus ejus tyrannidem.

I. Tyrannis ista inevitabilis est, et nemini prorsus parcat; recurva falce sua omne gramen demetit: nihil ejus falcem fugit. Sic enim ait apostolus, ad Hebr. IX. *Statutum est hominibus semel mori.* Ubi Theophylactus legit: *Destinatum*

est, q. d. *destinati omnes ad mortem sumus, sicut oves ad macellum*: quemadmodum et apostolus dixit: *Æstimati sumus sicut oves occisionis*, ad Rom. VIII. Omnes alii humani casus sub incertitudine militant, præter mortis eventum. Cura tibi schema nativitatibus ab astrogolo edici, et audies tibi denuntiari: *Astra tibi favent et promittunt tibi divitias, honores, vitam longam, nisi iste vel iste planeta interveniat. Nunquam vero audies, te non moriturum. Ferunt Alexandrum M. audisse aliquando, prope adesse philosophos quosdam; atque illos advocasse, et de rebus dubiis interrogasse. Quos ubi sapientes comperit, promisit eis munera, jubens ut peterent. At illi: *Volumus, ut nobis immortalitatem dones. Risit ad hoc Alexander, inquit: Sapientes vos censebam, nunc vero ignorantes video. Quod enim mihi præstare nequeo, qua ratione vobis dem. Tum illi: Ut quid ergo tamquam immortalis universum mundum turbas, ut eum tibi subjicias. Refert Fr. Labata, in apparatu conc. to. II. Nimirum optime norunt omnes se morituros esse; sed interim quam plurimi tam effræate et insolenter vivunt, ac si immortales essent. Si mortalis es, ait Socrates, ut mortalis vive. At quid ergo multi immensas conquirunt opes, munitissima struere satagunt palatia; si brevi sunt morituri? Audiamus D. Chrysostomum, homil. XXII. in ep. ad Hebr. « In civitate, quæ est ruitura, inquit, nemo ædificat. Dic mihi rogo, si quis diceret fore, ut civitas post annum corruat, illa vero non omnino, ædificaretne in ea quæ est ruitura? Quamobrem nunc quoque dico, ne ædificemus in hoc mundo. Cadent paulo post et peribunt omnia. Quid vero dico casura? Ante ejus ruinam nos peribimus, et gravia patiemur: nos a nobis ipsis excedemus. »**

II. Omnia prorsus æquat, nec ullum personarum respectum habet, adeoque instar messoris flores omnes seu altos, seu humiles, seu speciosos seu informes falce sua demetit: et pares facit, atque in fœnum convertit. Unde quidam apud D. Anton. IV. p. summæ, tit. XIV. c. VIII. § I. dixit, si in gravissima causa iudex diligendus esset, qui neutri parti plus faveret, ad ferendam æquissimam sententiam, se unam præ omnibus mortem delecturum, ut quæ inter pauperem et divitem nobilem et ignobilem nullum plane discrimen facit. Constantius imp. Romam aliquando aureo in carpento cum triumpho in vectus, cum cives obviam factos contemplatus esset, miratus eorum splendorem et magnificentiam dixit, tot se videre reges in urbe Roma, quot cives. Visis deinde palatiis, Pantheo, templis, columnis, arcibus, aquæductibus obstu-

ruit ac dixit: *Naturam omnes vires suas in hanc urbem effudisse. Interrogavit deinde Hormisdam architectum suum, quid de Roma sentiret. Qui id solum sibi placere dixit, quod: Didicisset Romæ æque homines mori, ac alibi. Refert Platina in Felice II. Congruit hoc dicto quod Diogenes Cynicus Alexandro M. significavit; interroganti, enim Alexandro, quid ita intueretur ossa mortuorum? *Calvariam, inquit, et ossa Philippi, patris quondam tui quæro, sed inter plebeiorum ossa non discerno. Magnum quidem inter homines discrimen, dum vivunt, cernitur, quemadmodum et inter flores, cum in prato virent. Postquam mortis falce demessi sunt omnes stipula et fœnum sunt. Hinc ni fallor, David a Scriptura sancta appellatur rex, dum regni gubernacula tenebat; ast ubi mortis tyrannidi tributum ab eo solvendum erat, detrahitur ei nomen regis, et præcise dicitur: *Appropinquarunt dies David, ut moreretur, III. Reg. II. Et infra: Dormivit igitur David cum patribus suis. Nimirum mors regis titulum morienti sustulit, et plebeis eum parem fecit. Jam si res ita se habet, quid inflatur unus adversus alterum? « Quid servo, inquit, Seneca, lib. III. de ira, cap. ult. quid domino, quid regi, quid clienti tuo irascaris? Venit ecce mors, quæ nos pares faciat. » Pulchre etiam S. August. lib. de natur. et grat. « Respice sepulera et discerne si potes, vietum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi, memor utique naturæ ne extollaris. »***

III. Incautos opprimit, quando minime sibi cavent. Ut enim tyranni fingunt se amicos, et simulant suis affabiles, permittit ut ditentur, et eleventur, postea repente eos despoliat, deprimat, et extinguit: quo modo Augustus Cæsar officialibus suis utebatur ut spongis: connivens eis, dum ditarentur, postea expilavit. Ita etiam multis diuturnum vivendi spatium concedit, et permittit ut ducant in bonis dies suos; et libidini indulgeant, quasi fœdus et amicitiam cum morte contraxissent ad extremum inopinato obruantur, et deplumantur. Sunt enim aliqui qui in libertate et iniquitate sua adeo secure vivunt, quasi fœdus cum morte iniissent, immunitatemque ab ea emissent. Ita illi apud Isa. cap. XXVIII. dicunt: *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Verum mors fœdus hoc facile rumpit, et repente eos obruit: cum in peccatis quasi securi dormiunt, quod expressit Ps. LIV. cum ait: *Veniat mors super illos, et descendat ad infernum viventes, quoniam nequitie in habitaculis eorum, in medio eorum. Alii sic legunt: *Decipiat illos mors. Ecur vero? Quia instar aucupis permisit eos pabulari in area, donec plures congregarentur, et securi simul indulgerent***

petulantia suæ, tum repente adest in medio eorum, et reti suo involvit atque obruncat; Deo sic permittente et disponente in vindictam peccatorum. Quod vero addit: *Descendant in infernum viventes*, vult dicere tales ita opprimi, ut prius videant se in inferno constitutos, quam mori se adverterent. Huc facit quod Sancto Jobo respondit Bald. ad cap. XVIII. *Abcondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam. Sed mira est impiorum cæcitas quod laqueos et decipulas mortis non videant cum pateant in terra et in semitis, h. e. in sepulchris passim in oculos incurrentibus. Nimirum fœdus, quod cum morte fecerunt, persuadendo sibi annos plurimos, eos cæcavit. Sic oppressit mors Jezabelem, e fenestra prospicientem et sese exornantem, IV. Reg. IX. Baltasarem et principes Babylonios convivantes, Isa. XXI. Holofernem vino ebrium, Jud. XIII. Sisaram dormientem, Judic. IV. divitem illum de horreis cogitantem, Luc. XII. Amanem aliis interitum struentem, Esther, VII. Alii apud Jobum, cap. XXII. dicuntur: « Tenere tympanum et citharam, et gaudere ad sonum organi: ducere in bonis dies suos, et subito, ad infernum descendere. » Bene igitur monet Seneca: « Nescis quo loco te mars expectat, tu ergo in omni loco mortem expecta. »*

IV. Nulli parci etati, ita ut immaturos etiam abripiat; qui hanc lucem vix aspexerunt, juvenes, pueros, infantes. Hinc etiam Psalm. VII. dicitur ea: *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis. Gladio igitur et sagittis utitur: gladio ad senes, qui prope sunt, macetandos: arcu ad juvenes et infantes, qui procul a mortis termino legitimo absunt, sternendos. Quodque magis mirandum, gladium dicitur in senes vibratura: arcum vero in juvenes jam tetendisse, quasi celerius cupiat interficere, qui multos sibi dies promittunt, quam illos, qui mortem in dies expectant. Quis audivit talem tyrannidem? Idem confirmatur ex eo, quod Amos VIII. legimus, ostensum prophetæ uncinum pomorum, additumque esse a Deo: *Venit finis super populum meum Israel. Uncino solent carpi poma, quæ in alto et procul remota hærent. Tales vero sunt juniores, qui de morte adhuc nihil cogitant, et interim a mortis uncino repente detrahuntur: quodque dolendum majore suo periculo, quam senes et adulti. Dejecta enim ex alto poma graviore casu ruunt, et in terra fere colliduntur: non ita quæ ex infimis ramis decidunt. Sic nimirum juvenes ægre et impatienter, ac fere imparati moriuntur: non ita senes, qui tædio vitæ affecti mortem expecta-**

runt semper. Unde illi in tempestate mori dicuntur, Job. XXXVI. *Anima eorum in tempestate morietur. Alii vertunt, in pueritia. Poma etiam, quæ vi ventorum et tempestate abripiuntur, ægre et periculose decidunt, ad collisionem scilicet. In tali tempestate perierunt filii Job, quando illis convivantibus et bibentibus vinum, repente ventus vehemens irruit in domum, et concussit eam, oppressitque omnes Jobi filios et filias, Job I. Ecce convivantes obruit, cum eos non opprimeret, dum subinde a parente vocati sanctificarentur, h. e. ad sanetitatem instituerentur. Idem contingit multis juvenibus; ut non evocentur, dum pietati vacant, sed dum lusu, potationi, et libidini operam dant. Quis fidat huic tyranno?*

V. Non parci virtuti et pietati: tam enim rapit pios, quam impios; quod proprium tyrannorum est. Qua de re intelligi potest, quod Isa. XXIV. dicitur: *Hæc erunt in medio populorum, quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt excutiantur ex olea; et quemadmodum, si quis vindemiat racemos. Olivæ, dum excutuntur ex olea, acerbæ sunt: racemi vero, cum colliguntur dulces sunt. Isti bonos et pios, illæ malos et impios significant. Jam vero mors neutris parci, sed prout in falcem ejus incidunt, ita eos demetit; quemadmodum et messor tam bonas secatur herbas, quam malas; ut non vane mors pingatur cæca; quasi nullo respectu proximum quemque invadat. Quinimo a justo initium suæ tyrannidis fecit, non occidendo prius Adamum, aut Cainum impium, sed Abelem justum. Cujus rationem hanc dat Theodoretus eo loco: « Si Adam prior obiisset, firmiore fundamento mors niteretur, primus mortuorum excipiens peccatorem. Quia vero primum recepit eum qui injuste occisus erat, dubium fundamentum habet, » q. d. si prius peccatorem rapuisset, videretur jure suo velut rex legitimus esse usus. At dum justum primo arripuit, ostendit se tyrannum esse et mirum est, quod Moyses, dum longam textit mortuorum seriem, et apponit singulis illam epigraphen: *Et mortuus est*, de uno Caino id reticet. Nimirum de eo, ut reprobo non erat quod dubitarem, si mortuus est: de aliis autem quoniam in dubium venire poterat, affirmat singularim. Itaque ne sanctissimi, ut ipse Christus, et sanctissima eius Mater tyrannidem mortis effugere potuere. Taceo quod eosdem quandoque ita percullerit, ut extrema quoque tentare ad tyrannidem ejus evitandam excogitaret. Ita enim Abraham ne occideretur, exposuit uxorem Saram violationis periculo, quando ei suasit, ut se sororem ejus diceret, si raperetur a Pharaone.*

Gen. II. Elras quoque qui cœlum clauserat Jezebelis mortem sibi intentantis minas veritus in fugam se contulit ac solum vertit, III. Reg. XIX. ut late ostendit S. Chrysostomus, in epist. III. Neque hoc mirum, nam uti S. Bernardus, serm. de villico iniquitatis ait: « Mors ipsa est crux horribilis, ad quam quotidie festinas, et non attendis. Vide, quomodo mors te crucifigit, crura distenduntur, manus et brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescunt, facies exsudat, et morte tacta pallescit, etc. » Hujus tyrannidis specimen videmus ante oculos nostros, in defuncto isto. Cui tamen ex hoc capite gratulari possumus, quod hujus tyranni imperium jam evaserit: *Mortuus enim est semel, mors illi ultra non dominabitur.* Quod quidem apostolus de Christo dixit, competit tamen et nobis, Christi membris, ut ostendit S. Chrysostomus, hom. XVII. in ep. ad Hebr. « Quid, inquit? Annon adhuc morte illa, (qua Christus mortuus) morimur. Morimur quidem sed in ea manemus, quod nec est quidem mori. Mortis enim tyrannis et vere est illa mors, quando mortuo non est amplius concessum ut redeat ad vitam. Quando autem vives post mortem, idque vita meliore hoc non est mors sed dormitio. » Itaque defunctus post superatam mortem jam dormit, quod si dormit, salvus erit; quia suo tempore resurget ad vitam, ut speramus immortalem. Hujus enim spei fundamenta sane illustria nobis reliquit, etc.

Quare cessent lacrymæ, foras flicines et turba tumultuans lessum illi canens: *Non enim est mortuus, sed dormit.* Quod si tamen ejus somnum aliquid turbaret, quominus plene in altero sæculo conquiesceret, nostrarum partium est, communi precatione impetrare ei requiem, et dulci cordis affectu pro ultimo valedicere: *Requiescat in pace.*

## CONCIO XXXII.

CUR TAM MULTI ANTE MATURAM ÆTATEM MORIANTUR.

## THEMA.

*Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras, disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis.* Jerem. IX.

Mirum est illud mortis stratagema ad incautos opprimendos homines de quo Jerem. c. IX. ait: *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras, disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis.* Ubi ad litteram quidem loquitur

de Chaldæis, qui Jerosolymam occupaturi et in domos civium irrupturi, indeque obvios quosque maxime tamen immaturos ætate jaculis suis perempturi erant. Morali tamen sensu mortem nobis intentat; quæ et ipsa primo, ascendere dicitur per fenestras, quia per occultas vias, qua minime expectabant, ex improvviso sæpe nos adoritur. Per fenestras enim nemo existimatur facile ingressurus: per januam intratur in domum. Deinde, e domo, quam ingressus est, jaculatur in eos, qui foris sunt; qui et ipsi se in tuto esse putant, nec jacula e domo metuunt. Denique, non in viros aut senes sed in parvulos et juvenes sua jacula intorquet; qui illi, cum a morte longius se abesse censent, ut plurimum feriuntur et mortis jacula incurunt, quod testatur experientia. Plures enim immatura, quam matura ætate moriuntur, quod vel ex evangelio colligi potest, in quo illi, quos a morte suscitavit Christus, omnes fuere juvenes, Lazarus annorum triginta ut scribit Epiphanius, hæresi LXVII. Videmus idem in hoc mundo. Quam pauci enim reperiuntur senes! Computa fratres tuos sexagenarios, quot jam sepelisti? Quot habes adhuc superstites? Vix quartum aut quintum. Idem fac de coævis tuis amicis, vicinis, condiscipulis, et idem reperies. Videmus et in arboribus. Quam pauci maturescunt fructus ex tam multis floribus! Quæ vero hujus rei causa esse potest? Sane omnes illæ soli Deo notæ sunt, aliquas tamen magis luculentas hic indicabimus.

I. Est parentum culpa, quæ in filiis morte sublati fere acris plectitur, quam si ipsi parentes e vita tollerentur. Malunt enim communiter sepeliri a filiis, quam sepelire filios. Sic punitus fuit morte filioli infantis David, quem genuerat ex adulterio, II. Reg. Sic Aaron ante Thare patrem sublatus est ob patris idololatriam, ut sentit Epiphanius, Gen. XI. Similem ob causam filius Valentis imperatoris extinctus fuit, quia parens ad eum hæreticos evocarat: cum prius præsentente Basilio puer inciperet convalescere. Ut est in vita S. Basilii. Pari modo posteri Jeroboam omnes delecti sunt, et filii Achab septuaginta decollati sunt ob peccata parentum. Quinque etiam filii Mauritii imperatoris in pœnam parentis eo inspectante decollati sunt a Phoca. Fit hoc justo Dei judicio, qui in promulgatione decalogi dixit: *Ego sum Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem,* Deut. V. Quod quidem statuisset Deum, ait Tertull. lib. II. contr. Marcion, c. XV. ob populi duritiem, ut legi divinæ obedirent, si non amore sui, saltem filiorum suorum. Dum enim vident parentes propter sua

peccata deleri eorum filios, non possunt non accerrime id sentire, et semet accusare velut eorum homicidas, et posteritatis suæ eversores. Certe ut dimitterent Hebræos, postrema illa qua eorum primogeniti filii omnes perempti sunt commoti dimiserunt eos, Exod. XI. et XII. Multoties etiam Deus obtinere nequit a parentibus, ut dent Deo, quæ Dei sunt: vel ut abstineant a peccato: ferit igitur postremo filios eorum, ut tandem aliquando munus dent.

II. Est culpa filiorum, eaque multifaria. Imprimis quando parentibus sunt immorigeri, uti filii Heli, Ophni et Phinees, I. Reg. IV. qui propter hoc, et alia gravia quædam peccata uno die ambo in prælio cæsi sunt. Quibus accedit rebellis ille Absalon, qui ob insidias patri structas a quereu tentus et suspensus perit. Qua de re S. Chrysostomus, hom. de Absalone ait: « Adest arbor in campo, ramorum telis armata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris injuriam in parricidam defendat. Adest, inquam, arbor, quæ nec patrem, ut tibi parcatur, audivit, et jussa Dei instanter implere contendit. » Nota est historia illius juvenis e Catalonia qui natus annos 22. parentes monitionibus rebellis, andem ob commissa latrocinia ad capitale supplicium damnatus, et suspensus in patibulo, subito barba et capite, non minus quam senex nonagenarius incanuit. Quo miraculo ostendit Deus juvenem illum si parenti obtemperasset, ad eam senectutem fuisse perventurum, uti hoc exposuit episcopus illius loci, apud S. Bernardinum, conc. in II. dom. quadrag. Quando etiam temere ex præsumptione longioris vitæ sceleribus indulgent, merentur ante tempus e medio tolli, uti scribit D. Cyrillus Alexand. orat. de exitu animæ. « Qui dicunt, inquit, peccemus in juventute, et in senectute ad meliorem sensum redibimus, ii a dæmonibus illuduntur, ac deridentur, quoniam qui ultra peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in juventute mortis falce demetuntur; ut Amon, Israelitarum rex, IV. Reg. XXI. » Amon iste filius fuit Manassis regis Juda, regnare cepit viginti duum annorum adolescens, et quia imitatus est vitia parentis adhuc juvenis, non pœnitentiam senis, post duos regni annos a servis suis trucidatus est. De quo scribit Glycas, II. p. annal. quod hujusmodi cogitationem animo suo volverit: Pater meus a puero multa scelera fecit, in senecta pœnitentiam egit. Quamobrem et ipse hæc in ætate pro animi libidine me geram, et deinceps ad Dominum me convertam. Hac igitur de causa Deus pœnitentiam illius non expectavit, quando patris calamitatibus nullo modo factus est melior.

Stultitia hæc istius juvenis fuit, qui ex paterno successum suum sibi nullo nixu fundamento ominatus est. Bene ergo Ecclesiastes, c. VII. dixit: *Ne impie agas multum; et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Taceo alia peccata, quæ juvenibus vitam abrumpunt, de quibus alibi dictum. Denique tam debet esse mors ante oculos juveni, quam seni: *Non enim citamur ex censu sed ex deposito,* inquit Seneca, in epist. Si quis tibi hodie depositum aliquod crederet, cras alteri aliud, rursus perendie unum alii cuiquam, ea lege, ut quocumque tempore a singulis repeti queat. Nullus est securior altero de tempore repetendi depositi; sed omnes in singulos dies parati ad hoc esse debent. Vita hæc præsens velut depositum a Deo nobis commissa est, ut quandocumque placet, repetere id queat. Nemo ergo ex omnibus nobis plures sibi dies polliceri potest, quam alius quicumque.

III. Bonum parentum, qui quandoque nimium diligunt liberos suos, et propter illum amorem abstrahuntur ab amore, et cultu Dei: nimium inhiant bonis temporalibus, ut quibuscumque artibus divitias eis comparent; vel etiam nimis blande eos educant, omnia indulgent. In hoc casu beneficii loco ducere parentes debent, cum auferuntur eis liberi. Ita Sanctus Chrysostomus, homil. VI. in epist. ad Thessalon. respondet matri dolenti mortem filii: « Quomodo non putas Deum irritari? Nam ob id ipsum plerumque filios auferit; ne ad eum modum illis allegata sis, ut spem tuam ab illis auferas. Æmulator enim est Deus, et vult a nobis maxime omnium diligi, id ea ratione quod nos admodum vehementer amat. Propterea et Deus illam tibi abstulit. » Ludit hoc modo Deus cum parentibus, quo modo Augustus Cæsar lusit cum Pollione, apud quem cum aliquando cœnans animadvertisset, servum Pollionis, quod crystallinum forte fregisset vitrum, ab hero ad murenas damnatum abripi, liberari servum jussit, et omnia Pollionis vasa crystallina virgula confregit, ut sic ansam ei adimeret in posterum tam stulte sæviendi, et rem fragilem tam perditæ amandi, Fulgos. lib. V. Quando igitur parentes tam insane liberos amant, ut illorum gratia Deum offendat, jure merito eos abripit, et quidem magno parentum bono. Ferunt inter alias artes capiendi elephantis, hanc unam esse. Attendit venator ad arborem, ad quam dormiens se inclinare solet bestia, eamque majore ex parte secat, ut cum elephas ei rursus inniti cœpit, una cum ipso cadat. Sic miser capitur, quia surgere ob corporis molem nequit; ita Barthol. Angel. de proprietate rerum. Sic venatur Deus cor nostrum. Id enim si se ad amatam aliquam crea-